



ARGUMENTVM LIBRI PRIMI

ADVERSVS MARCIONEM,

PER BEAT. RHENANVM.



MARCION, ut autor est Tertullianus in catalogo Hæresium, natione Ponticus, episcopi filius, cum ob uiolatam uirginem ecclesiastica communione priuatus esset, ultionis (ut uerisimile est) studio, quod etiam aliàs plus semel accidisse legimus, Cerdonis hæresim amplecti cœpit, permotus, ut uolunt, Euangelica illa sententia, Omnis arbor bona, bonos fructus profert: mala autem, malos. Quam CHRISTVS non dijs, sed hominibus per allegoriam adcommo- dauit. Itaque Cerdonis impij magistri impius discipulus, profiteri cœpit quæ ille docuerat, duo uidelicet esse in- itia, duos, inquam, deos, sed longe dissimillimos, Alterum bonum, mitem, ac sedatum, & nihil aliud quàm optimum, qui per CHRISTVM filium suum paulo serius nobis sit reuelatus, hunc superiorem uocat, Alterum truculentum, ac sæuum, sanguinari- umq; quippe qui bellis ac cædibus delectetur. Ab hoc uult mundum esse conditum, quem mi- norem appellat, & asserit ueteris testamenti promulgatorem, ut superior ille noui fuit. Proinde legem & prophetas reijcit, indigne de Creatore sentiens. At melioris illius dei sui filiam esse CHRISTVM affirmat, quem tamen haud uera carne fu- isse uestitum tradit, sed solum imaginarias: nec uere passum nec natum. Resurrectio- nem animæ tantum cōcedit, corporis negat. Ex Euangelistis solum Lucã agnoscit, sed amen non totũ. Nec Paulinas epistolas omnes recipit, nec totas. Acta Apo- stolorum & Apocalypsim pro falsis damnat. Huius itaque dogmata destructurus Ter- tullianus, ostendit nouum illum deum meram esse fabulam, quando constet duos deos esse non posse, uel ex hac regula, quod deus quiddam summe magnum sit. at hoc non fuerit, si sit cui adæquetur. Nec uero diuersitatem duos admittere deos, ne- dum æqualitatem. Nolebant autem inconueniens uideri Marcionitæ, duos esse deos, modo dispares affirmarent. Et quia mire sibi placebãt de nouo deo suo, docet nouitatem haud abesse à specie fictionis. id quod ex dijs Rhomanæ superstitionis liquet, quos illa leui de causa cottidie nouos commenta est. Sed enim huic malo oc- currentes Marcionitæ, dicebant agnitione duntaxat nouum esse, non re ipsa. Quod egregie confutat Tertullianus, probans deum nunquam latuisse, sed à primordio conditi mundi cum ipsis statim rebus in hominum deuenisse cognitionem, ut puta cuius amplissima sint testimonia totum quod nos sumus, & in quo sumus, nem- pe mundus uniuersus. Proinde cum peculiariter deo conueniat, aliquid condere, hoc argumento nullus esse comperietur deus Marcionis, cuius nullum opus de- monstrari possit. Quod si esset, esset utique sine causa, quando re caret, quæ solet esse causa, ut sit aliquis, cuius res est: & impudentiæ malitiæque notam non effu- geret. Iam ut dei sui ignauitã excusarent Marcionitæ, mundum hunc aiebant opus esse parum deo dignũ, bestiolas & alia ad exornandam hanc rerum uniuersitatem creata, palàm irridentes. Quibus respondens Tertullianus, de dignitate pulchritu- dinæque mundi nonnihil obiter differit. Deinde probat deum Marcionis non habe- re suum mundum supra Creatorem, nec esse rerum inuisibilium autorem, nec item à CHRISTO reuelatum, sed ab illo mendaciter confictum, uel hoc argumento certissimo, quod ætate Pauli nulla sit de deo facta quæstio, quem omnes unum cre- debant